Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1771
Quelle:
Copyright:

DCCXXXVIII.

R. 3158 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 46. 4. min. bene ſcriptus et rubricis enotatus hanc Notam praefert: *In hoc Libello continetur primo epiſtola fratris Humberti quinti Magiſtri ordinis predicatorum quam ſcripſit de tribus eſſentialibus ordinis. et de quibusdam virtutibus. et hanc epiſtolam per totum ordinem et ſingulas prouincias miſit. Poſt hoc ſtatim ſequitur epiſtola fratris Boneuenture de balneo regio et multum bona. Hunc vero libellum ſcripſit manu propria Venerabilis Pater dominus Heinricus tertius Prepoſitus huius Monaſterij ſancte Dorothee virginis et martiris. Anno domini M°. CCCC°. XVII°. Iſte bonus Pater fuit Magiſter arcium et Baccalarius in theologia ac Collegiatus* (Collegii Ducal. membrum). *Orate kariſſimi pro eo dominum deum benedictum et glorioſum. Idem etiam venerabilis Pater poſt epiſtolam fratris Bonauenture ſcripſit eciam propria manu aliqua notabilia pro temptatis.* Epiſtolae *Humberti* jam memini *Vol.* I. P. 2. *col.* 2441. Epiſtolam *Bonauenturae* habes in Edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. VII. p. 14. Obliti ſunt Editores eam in Elencho praevio adnotare; incipit vero: *In Chriſto ſuo dilecto* &c. *Quoniam dilecte mi frater in domino adhuc me in preſentia* &c. et titulum praefert: *Viginti Quinque Memorialia.* Quae de Tentationibus, Mentis confidentia, Scrupuloſitate, Modo reſiſtendi adjecit *Henricus*, ſi quidem propria ejus cogitata ſunt, virum in via Spiritus probe verſatum oſtendunt.

DCCXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 105. 4°. probe ſcriptus, rubricisque nitide diſtinctus, et quondam Parthenonis *Halenſis Tyroleos* res ad B. *Birgittam Suecicam*, conditumque ab ea S. *Salvatoris* Ordinem pertinentes complectitur, quas juxta praemiſſum Indicem recenſebimus. 1) *Regula* O. S. *Salvatoris*, prout extat in *Mariani Brockie Codice Regular.* T. III. *Aug. Vindel.* 1759. p. 107. f. ab *Urbano* VI. adprobata a. 1379. Praeit nobis Icon picturata *Birgittae* Regulam hanc Profeſſoribus utriusque Sexus diſtribuentis, tum Teſtimonium *Theodorici de Morſa* Archiep. *Colonienſ.* datum *Jacobo de Roperſtorp generali confeſſori Monaſterii Marienkrone Zwerinen. dioc.* de integritate et ſinceritate hujus *Transſumpti*, a. 1451. cui Teſtimonio inſerta ſunt alia duo videlicet *Nicolai Zwerinen.* ſignatum *in Capella caſtri noſtri Butzow* a. 1446. et *Kanuti lyncop. Epiſcopi* ſignatum *in monaſterio waſtenen. noſtre dioc.* a. 1428. quae tria teſtimonia et deſcriptionem Sigillorum iis adpenſorum et Notariorum, Teſtiumque nomina continent, et praeterea tam *Urbani* VI. Confirmationem, quam *Elziarii* C. 944